

DE
ORIGINE
DYSENTERIARVM
CAVTOQUE IN HIS
PASSI HVNGARICI
VSV

DIVINI NVMINIS AVSPICII
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
P R A E S I D E

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CYRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. X. OCTOBR. A. S. R. clococcl.
H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPV TABIT

AVCTOR

IOANNES ADAMVS RAYMANN
EPERIESSINO - HVNGARVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

INCLYTORVM
REGNI HVNGARIAE COMITATVVM
ZEMPLINIENSIS ET SA'AROSSIENSIS

DOMINIS
OFFICIALIBVS
ET
PRIMARIIS TABVLARVM
IVRATIS ASSESSORIBVS,
TITVLO QVORVMVIS DECENTI SALVO,
PATRONIS, EVERGETIS
ET
PARTIM SANGVINE SIBI IVNCTIS,

FAVTORIBVS ATQVE AMICIS;

PRO DEBITA SINGVLIS REVERENTIA,
DEVOTIONE ET GRATIA

PALAM CONTESTANDA,

PRIMVM HVNC INGENII SVI FOETVM

CONSECRAT ET OFFERT

A V C T O R.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE

ORIGINE DYSENTERIARVM
CAVTOQVE IN HIS PASSI HVNGA-
RICI VSV.

PROOEMIVM.



Specimen, pro laudabili & recepto in
Academis more, profectuum &
conquisitiae in arte soteria scientiae
atque peritia exhibiturus, hoc mihi
consulto & data opera signi ar-
gumentum, quum nec sterile illud,
nec tritum nimis sit, dulcis vero
Patriae civium, quibus Iure natu-
rae plurimum debo, salutem po-
tissimum respiciat & pro primario obiecto habeat: his
namque non frequens saltē, propter domesticum in-

A 3 tensio-

tensiorem aëris feruorem, a Dysenteriis impendet ve-
 xatio, sed vita quoque eorum, propter familiarem
 Passi abusum, in extreum haud raro venit discri-
 men. Et eo quoque magis, ut singulari opera in hoc
 inquirerem argumentum, variae suaferunt Medicorum,
 circa vini in Dysenteria usum, sententiae. Qui-
 dam enim, ad febrem & cum ea coniunctum audito-
 rem sanguinis motum atque calorem inde orientem
 respicientes, omnem improbant vini in Dysenteria
 usum; alii contra varia huius potulent genera, ea
 praesertim, quibus adstringens quoddam ac roborans
 ineft principium, tantum abest, ut reformident, ut
 potius sedulo crebriorem eorum aegris inculcent usum.
 Verum iam a celeberr. Dn. D. DE NEGERO, in Hi-
 stor. med. de Dysenteria bilioſo-contag. p.141. damna-
 tus est vini generoforis, Hispanici & Gallici rubri,
 Pontac dicti, in Dysenteria bilioſa, usus. Neque
 meum iam erit, varia vinorum genera fusiſſus perse-
 qui, cum non diffusior tractatio, sed breuis tantum
 mihi scribenda sit Dissertatio. Ultra limites itaque
 non euagabor, sed de Passi tantum, uti dictum est,
 usu minus cauto, paucis exponam. Cui pio cona-
 mini ut secunda adspiret velifcetque aura, ſup-
 plex Numen supremum veneror.



§. I.



§. I.

Quid dysenterica sit adfectio, ut hinc discursum, ceu a primo Dissertatio- nis momento, ordiar, ipsa vocis exprimit compositio; particula enim $\delta\delta\sigma$, difficultatem sive molestiam, ad exemplum *Dyspepsiae*, *Dysuria*, *Dysphoriae*; $\epsilon\nu\tau\epsilon\gamma\omega$, intestina, & ver- bum $\epsilon\omega$ fluorem significant, adeoque generali hoc titulo quamvis acerbiorem intestinorum proluviem complesti, in aprico est. Hanc dictio- nis in sensu latissimo acceptionem, et si **G A L E N V S de Symptom. causis** 2. & passim alibi, Veteribus, ne quidem **HIP-POCRATE** excepto, haud insolentem fuisse refe- rat, temporis tamen successu invaluit usu, hoc nomine nonnisi plus minus cruentas alvi excretio- nes dignari. Sed cum quatuor harum, causa licet & forma diversissimas, affectionum constituis- sent species, idcirco recentiorum Scholae, cavere volen- tes, ne rerum, quarum involucra sunt nomina, per- turbe-

turbetur notitia, sed singula in sua resolvantur significata, adpellationem hanc ad mucoso-saltem cruentia, exquisitissimisque tormentis, quorum vehementia viscera abdominalia exprimi quasi videntur, & febre utplurimum comitata, restrinxerunt intestinorum profluvia. Et hac propria ac strictissima significacione *Dysenteriarum* nomen mihi quoque nunc venit.

§. II.

Remota ergo, ut mea & Lectoris interest, omni aequivocationis ambiguitate, susceptum iam opus exsequi aggredior, & *Dysenteriarum* non tam sporadicarum, quam potius epidemicarum veram originem, duce experientia & comite ratione, sagaci vestigare nare pro viribus conabor. Licet autem in eo omnium fere temporum Medici quasi ex composito convenienter quod aegritudinem hanc matieres quaedam acris & simul glutinosa, in intestinorum canali delitescens, suscitent & foveat, quatenus fibras quidem illorum ad excretorios stimulat nixus, harum vero insimul frustratur virtutem, dum tenaciter parietibus & villis adhaerendo, prompte hinc emoveri & secedere renuit, vel tergiversatur: circa scaturiginem tamen eiusdem, ut in rebus fieri afolet dubiis, in diversum abeunt. Quidam enim singulare hic quaerunt, nescio quod, fluidum, colocynthidis naturam aemulans, quod intestinorum volumen obsideat; alii saltem ad miasma cum bile in intestinis fermentans; alii tandem ad miasma in ipsa M. S. respiciunt, quos inter b. m. Frider.

HOFF.

HOFFMANNVS eluet, *Med. rat. syst. Tom. IV.*
Part. III. Sect. II. Cap. VII. §. 15. Sed haec cum enarrare dissidia, litesque dirimere, nec praesentis instituti requirat ratio, nec circumscripta pagellarum harum concedat angustia, sat gnaviter me officio defunctorum esse confido, si pro tenui meo captu affectionem adfectionis huius adumbravero & paucis thetice explanavero.

§. III.

Fomitem igitur & *materialem causam* Dysenteriarum quarumvis, popularium vero in specie, *bilem esse hepatico-cysticam*, non exclusa tamen sanguinis biliosa diathesi, iuxta Parentis optimi institutionem, plura sunt, quae mihi persuadent. Primum enim ineunte morbo excerni modo flava, modo porracea, rarius nigra, saepe etiam varia, semper tamen magis minusve mucoso-cruenta, lenta item & spumescantia, per avtopsiam convincimur, quae si non ipsam sicut bilem, cuius utpote imaginem & fermentificam exhibit indolem, de eiusdem tamen esse prosapia, nec aliunde ea, quam ex hepatc, scaturiginem in tanta ubertate habere posse, non est quod ambigem, praesertim cum bilis in dysentericis cadaueribus penuria vel abundantia, (utrumque enim fieri, per extispicia compertum est, prout nimirum longius vel brevius fuerit malum,) coniecturana hanc confirmet & stabiliat. Vesiculam namque fellem prorsus inanem, tenuia vero intestina undique bile perfusa, PLATERVS deprehendit, imo, illius loco, magnatis alicuius chylosi haud exiguam co-

B piam

piam in eadem observavit BONTIVS; e contrario autem etiam aliquando duodenum & ieiunum bile repletissima, cystidem autem eius maximam, atque humore tali graminis instar viridi resertissimam fuisse, *Ephemer. Academ. Nat. Curios.* a) docent. Huic autem ultimae sententiae apprime practica consentient experimenta, quibus utpote constat, bilis sanguis tempestive, priusquam intestina hepatis vici-niora caustica sua acrimonia inflammaverit, funditus per inferius, ut cum PLAVTO dicam, vel, quod fere ob viarum compendium praefat, superius guttatur exhausta, sive sponte natura, sive artis ministerio, Ipecacuanhae in primis praebio, ceu in comparatione cum antimonialibus magis tuto & benigniori medicamine, quod pro more horum alvum non cogit, sed potius cohabet, & cuius beneficio multa dysentericorum militum millia se servasse, in *Commercio litterar. Norimb.* b) gloriatur KRAMERVS, (quamvis tartaro emetico VALENTINI in *Ephemerid. Nat. Cur.* c) & LEDELIUS d), prout Asaro quoque KRAMERVS, l.c. parem utilitatem, facto periculo, adtribuant, morbum, si non semper in herba, ut aiunt, suffocari, obsequiosorem tamen brevioremque reddi. Nec postremo insuper mihi hac in re est argumento, quod, prout loca & regiones, quo magis ferventiori collustrantur sole,

- a) Decur. I. Ann. III. Observ. 116.
- b) Ann. 1733. Hebd. VI. Art. 3.
- c) Dec. II. Ann. II. Obs. 168.
- d) Ibid. Dec. III. Ann. III. Obs. 15.

cautoque in his Paſſi Hungarici uſu. II

le, eo etiam Dysenteriarum, notante inter alios
AMATO LVSITANO e), feraciores sint, atque
hinc, si fides habenda BONTIO, in India, Arabia &
Aegypto, morbum constituant endemium. Nec
fere alias, niſi temporibus anni calidoſiccis & aestuo-
ſis, praecipue vero aestatibus, earundemque aestuo-
ſissimae parti, Syrio flagrante, in Europa ſuccedere
& graſſari conſueverint.

§. IV.

Hoc autem ne precario dixiffe, vel in gratiam
hypothefeoſ confinxiffe poſtuler, non ad hominis,
ſed ſeculorum confidenter provoco experimenta.
Medicorum namque antiquissimus, **HIPPOCRA-**
TEſ, iam obſervaverat f), in Thaſo per aestatem
calidam aestusque magnos, qui non per intervalla
aut ſenſim fierent, ſed tum perpetui, tum vehemen-
tes eſſent, diſcultates inreſtinorum populariter
graſſatas fuſſe, tandemque hac iterata ſua, & for-
te antecellorum perſuafus experientia g), univer-
ſaliter concludit, easdem per ſiccitates fieri. Ita et-
iam per totum Belgiū Anno 1556. per aestatem ca-
liorem easdem frequentiſſime obſervatas fuſſe,
FORESTVſ refert. Anno 1601. quum hyemem &
ver pluviosum mense Iunio & Iulio maximus exci-
peret aestus, totam eas depopulatſe Provinciam,
HILDANVſ memoriae prodidit. Communes quo-
que easdem multis in locis anno eiusdem ſeculi 24.

B 2 fuſſe,

e) Cent. II. Obs. 45.

f) I. Epidem. Stat. 3.

g) Sect. III. Aphor. 16.

fuisse, propter tantam aëris caliditatem & siccitatem, quantam vix ullus hominum recordari poterat, SENNERTVS testis est. Per potissimas item Europae partes eundem morbum anno 66. aestate fervida obtainente, epidemicum fuisse, SOMMERVS b) refert, id quod anno 76. sub eadem coeli intemperie Pofonii accidisse RAYGERVS i) refert. Similiter quoque Augustanos anno huius seculi quartto, cum Sirio ardente dies admodum incalvissent, pluviarum vero interventu subinde detepescerent, atque illo occiduo a solis radiis, nunquam a nubibus interruptis, intensus fervor succederet, eadem manfisse fata, SCHROECKIVS commemorat k), quale quid pariter eodem anno Sempronienibus, post summos Iulii calores, gravissimasque cum tonitru & grandinum divite pluvia intercedentes tempestates, mensisque Augusti aestuofissima tempora, quae nec per Etesias, nec per pluvias temperabantur, adeoque vix sustineri poterant, LOEWIVS in Historia Hungariae epidemica evenisse testatur. De anni huius seculi noni, rigidissimam hyemem summumque deinde aestum excipiente Dysenteria, ut Stutgardiae, ita etiam per Sueviam, Franconiam & Rheni Circulum populari, legi potest LENTILII Eteadromus; & de Berolinensi anno 1719. aestati adeo calidæ & siccae superveniente, qualis nemo hominum annosissimorum memoria recolere potuit, con-

ferri

b) Ephemer. Nat. Curios. Decur. II. Ann. IV. Obs. 124.

i) Ibid. Decur. I. Ann. VIII. Obs. 63.

k) Ibid. Decur. III. Ann. X. Append.

ferri merentur *Acta Medicorum Berolinensium. Decur. I.*
Vol. VI. pag. 34. sq. Propiorum temporum historias
& testimonia, ne tempus & chartam inutiliter per-
dam, lectorisque simul nauseam concitem, amplius
conquirere & exhibere iam non lubet. Pertinet ta-
men in primis huc gravissima illa Dysenteria epi-
demica, anno huius seculi 36. Belgium infestans, a ce-
leberr. Dn. D. DE G N E R O descripta, quae, praeced-
entibus variis diarrhoeis biliosis, formidabilem
suam indolem nonnisi mense Iulio, aestu atque calo-
re atmosphaericō auctō, monstravit. Non parum
sane sententia nostra, de Dysenteriae aetiologya, con-
firmatur exposita iam doctissimi huius Auctoris ob-
servatione: Quis enim non videt, bilem corruptam
utramque hic efficere paginam, cum praecedens
diarrhoea biliosa balsamum hunc naturalem depra-
vatum fuisse satis superque demonstret.

§. V.

Admodum probabili namque hinc argumen-
tatione, aut fere mathematica certitudine, nunc con-
cludere licet, Dysenterias bilis, ut iam indicavi, he-
paticae germanam esse progeniem, cui namque na-
turale est, quod per locorum & temporum fervo-
res increbat & copia augeatur, prout iam olim
animadvertisit & indicavit **HIPPOCRATES**, dum
dicit, bilem gignere aestatem *l).*, aestuofaque hac
anni parte corpus magis ea abundare *m).* Imo
tam aestate, quam autumno eam in corpore obtine-

B 3. re

l) Lib. de Humor. p. 50. Edit. Foëf.

m) Lib. de Diaeta, p. 338.

re adserit, idque inde probat, quod homines hac tempestate bilem sponte saepius evomant, & medicamentorum ope biliosa expurgentur, quod eriam, uti inquit, ex febribus & hominum caloribus patet *n*). Paradoxum hocce dogma, quamvis recentiores Scholae fere prorsus fastidiverint & repudiarerint, firmo tamen nititur & adhuc stat tali; vomitus enim bilis meracae, morbosque ex eiusdem abundantia citra controversiam oborientes, (ut sunt febres biliosae, causodeae, cholerae item, quibus id cum Dysenteriis commune est, quod post insolitos calores mense Augusto exoriantur, & interdum, SYDENHAMIO teste, populares fiant,) aestivo tempore magis, quam alio, frequentes esse, abunde iam per experientiam constat. In vulgus pariter notum est, homines sub aestatis fervore flavescentem saepius consequi colorem, propter humorum vitalium biliosam magis diathesin; quales enim in corpore vigent humores, tales in cute adparent colores, ac proinde sub anni variant temporibus, ut Libro de humoribus indicat idem HIPPOCRATES. Neque etiam huic supposito sana repugnat, a priori, ratio, siquidem cuilibet facile patet, sanguinis massam, partim per aestatis squalores, partim per magnam seri consumptionem sub sudoribus & largissima insensibili transpiratione inspissatam, magis magisque biliosam evadere, hoc est, oleofas eiusdem moleculas, ceu futurae bilis elementa, accumulari, & deficiente earundem, ob seri penuriam, discon-

n) Lib. de Nat. hum. p. 227.

discontinuatione plus concentrari, easque perenni per Portae venam ad hepar adfluxu, ut promptius, ita & cumulatius in eo sequestrari debere. Ita vero collectam bilem, seri utpote diluvio privatam, spissiorem magisque viscosam, & simul amarantorem fieri, demonstratione vix eget, siquidem ex eodem fundamento bilem cysticam, p^ra hepatica, & magis lentam, & acriorem esse, noto notius est.

§. VI.

Iam si bilis laudabilis, ex instituto oeconomiae animalis, inter alios usus, virtute sua saponacea vires naturalis subit clysteris, quo nomine ipsam iam olim non male designavit AVICENNA, siquidem, cohibito eiusdem in canalem intestinorum effluxu, alvum non facere officium, imo purgantibus etiam sollicitatam aegre obsequi, i^ctericorum discimus exemplo; utique hinc qualitate & quantitate depravatam illam iusto vehementius excretionem alvinam concitaturam esse, vero sane quam simillimum est; pigro enim lapsu dum, ob acquisitam glutinositatem, per intestina fertur, causticaque simul acrimonia nerveam eorundem tunicam rodit, & erysipelatis in morem superficialiter inflamat, naturam ad motus peristaltici intensionem suscipiendoisque torminosos spasmos, pro avellenda hincque eliminanda inimica & perniciofa materia, provocat & sollicitat, quorum violentia non saltem intestinorum mucus, ipsis pro tutamine ab acribus ingestis inseriens, excutitur, sed per venas quoque mesaraicas transiens sanguis, intercepto eiusdem per spasticas strictu-

stricturas libero recursu , ex propaginibus earundem extremis, villosam tunicam efformantibus, adeoque in cavitatem intestinoram, ut Anatomia docet, hiantibus, emungitur, siveque *hypercatharsis quaedam*, ut cum beato G. W. WEDELIO loquar, *naturalis*, artificiali, per imprudentem drasticorum purgantium & colocynthidis praecipue abusum concitatae, per omnia fere aemula , **T***V***L**P**I****O** & **S****T****A****L****P****A****R****T****I****O** testibus, ea tantum cum differencia, producitur, quod in hac, tempestive foras proscriptis purgantibus sumptu viscidis & acribus moleculis, omnis extemplo intestinorum conquiescat tumultus; in illa autem, novâ semper ex sanguinis oceano, refluae bilis fermento iam inquinato, succedente copiâ, is prorogetur, morbusque suam pertinaciter ludat fabulam, quoad vel emendata humorum dysenterica crasi, scoriisque biliosis, ut Illustr. b. m. *Frider. HOFFMANNVS* dicere consueverat, remotis, sanitas auspicato redeat, vel fatiscentibus viribus, & accidente intestinorum sphacelo , vita cum gemitu fugiat indignata sub umbras.****

§. VII.

Sed mihi iam quoque explicanda causa est, cur nimirum bilis tantum acrimoniae simul ac visciditatis acquirat gradum, ut tam funestam ludere possit scenam. Hic nobis primo ad partes bilis constitutivas respiciendum est. Non me quidem iam vexatissimae inter Medicos quaestionis iudicem consti- tuam, sit ne alcalinae naturae, an acidae? eum in utramque partem non levia afferri possint argumen- ta.

menta. Solis tantum experimentis nixus, oleosas, salino iunctas principio, in bile contineri afferam particulas. Sal hic pro subiectorum diversa ratio ne variat, ac modo alcalescentis naturae est, modo manifesto acidae. Iam vero docet nos experientia, olea in calido loco seposita & asservata rancescere, siue acria fieri: oleum enim ex phlogisto, cum aqua ope alcalini salis iuncto, constare docet analysis; inflammabili autem principio caloris ope dissipato, vel faltem imminuto, alcali liberatur, imo & acrius sit, frictione cum inflammabili parte, ob intestinum partium motum, aucta. Quid igitur mirum, idem quo que bili accidere, praefertim si auctior fiat, vel ab internis vel externis caussis, caloris in corpore humano gradus? Accedit, quod praeter alcalinum in oleo contentum salem, bili quoque sal insit vel acidus, vel alcalinus; qui si acidus fuerit, ob auctiorem, a calore intensiore, intestinum motum alcalescit; acida enim frictione cum oleosis partibus in alcalinam, experientia teste, transeunt naturam; si vero alcalinus ille fuerit, acrior certe redditur magisque volatilis. Quamcunque itaque de bilis natura assumas sententiam, eandem tali ratione aciorem reddi posse, fatendum est.

§. VIII.

Tenerimas autem fermentescentis bilis moleculas (indole enim sua in putredinosam, prae reliquis corporis humani liquoribus, eam fermentatione inclinare, indicio est citissima cadaverum circa hepar, eiusque folliculum, corruptio, facilisque eius-

C dem

dem in acutis corruptio similis, ex qua grauissima in illis crebro pullulant mala) per bibulas venas vel vasa etiam lactea resorberi, atque ex intestinorum voluminibus in universalem sanguinis transferri massam, si sustinuero, forte, ut spero, non reprehensionem, sed fidem ad sensumque merebor, eo potissimum inter alia ex capite, quod, sumpto a nutrice potentiori pharmaco, pusionem ab eiusdem pendente uberibus simul purgari, usu a temporibus **HIPPOCRATIS** o) hucusque exploratum sit. Quo concessso, absurdum haud erit, circumfluos in corpore humores, pro specifica accepti per has vias fermenti indole cathartica, conformem huic fermentationi concipere speciem, atque ea propter praecipites ad intestina ruere, & febrim ad intestina, verbis **SYDENHAMII**, convergam, producere. Omne enim fermentum singularem suam proprietatem fermentatis communicare, Zymotechnia docet, vel, ut nominatus **S Y D E N H A M I V S** censet, quodlibet principium activum sui simile procreare satagit, & quae ei oblistunt, ad propriam indolem inflectit atque accommodat p). Quamquam autem modus, quo illi ad intestina speciatim determininentur, humani sensus subterfugiat aciem, minimeque perscrutari queat, aliquid tamen lucis nobis his in tenebris Chirurgia foenerat infusoria, qua compertum est, ut inter alias **PECHLINVS** de *Purgant. medicament. facult.* & **ELSHOLTZIUS** sua

o) Lib. Epid. 5. Aph. 33.

p) Oper. Sect. V. Cap. V. p. m. 313.

sua Clysmatica nova, comprobant, immediata cathartorum in sanguinem, incisa vena, infusione, animal aequo repurgari, ac si eadem ore haussisset, hoc enim documento est, posse humores eam adipisci crasin & indolem, ut ex omni corporis ambitu ad intestina cumulatim vergant.

§. IX.

His ergo ita perspectis, nullo amplius indigemus Oedipo, cur hic morbus aestatis & autumni confinia iure quodam peculiari sibi vindicet, & mensa potissimum Augusto torrentis instar, rupto aggere, longe & late exundare consueverit, sive, ut apertius dicam, omnes promiscue homines, sine discrimine aetatis, vietus & regiminis, invadat, donec adpropinquante hyeme suo rursus se condat alveo, tempore que cedat, sive grassari desinat, ut sagacissimus morborum epidemicorum explorator, SYDENHAMVS, observavit & adnotavit, temporerumque succedentium observationibus plenissime constat, quoniam scilicet praefocantes extremae aestatis squalores non saltem bilem hepatico-cysticam, sed eiusdem etiam in sanguine materiem augent, & simul acriorem ac unquam alias efficiunt. Quo magis enim lympha difflatur ab aeris squalore, eo biliosior redditur sanguis, & acrimoniam induit maiorem, iudice WEDELIO, qui insuper porro scribit q): Aestate, lympham per calorem evocatam, sanguis spissescit, & bilis minus diluta acrimoniam salino-sulphuream concipit facile: id quod revera fieri,

C 2 suda-

q) In Aphorismis Aphorismor. Sect. III. Aph. 7. & 21.

sudamina, cutis prurigines, olidi sudores, urinae meracae & acres, his temporibus potissimum familiares, inter alia liquido demonstrant. Calore enim sanguis alcalescit, vel liberatur, ob maiorem tunc huius humoris resolutionem, praesens iam in eo alcali, cuius dein partes acriores reddirae eo modo, quo id §. VII. a nobis demonstratum est, bilem quoque efficiunt acriorem, eiusque intemperiem producunt. Huc accedit, quod, in quo rei potissimum vertitur cardo, in hunc singulariter mensem vicissitudines caloris & frigoris quotidianae novissime, statu naturae incident ordine. Fere enim cum, horis meridianis, culminante sole, urimur a fervemus, aequa ac olim aestu, quo praecocius occiduo, vespere detepescimus, per longiorem autem eiusdem sub horizonte moram, noctiumque incrementa, noctu & sub dierum crepusculo magis algemus; hisce vero oeconomiae vitali peregrinis mutationibus, humorum longo usu recepta, & simul respectu aliorum temporum longissima per cutis superficiem vigens difflatio, ut SANCTORIVS per statica experimenta comperit ^r), si non ex integro cohibetur, multum tamen turbatur, talesque humores in egressu prohibiti, motu retrogrado ad interna viscera intestinorumque volumen, ceu amplissimum mucoscentis seri & periphericae ventilationi subordinatum excernicalum, communiter redundant, & efferae bili in fistula intestinorum iuncti, non tam frenum iniiciunt, quam calcar eidem

^r) Medicin. Stat. Sect. II. Aphor. 23.

eidem per comitem acrimoniam addunt, donec, au-
gescente in dies aurae refrigerio, tumultuari & bile-
scere desinant, impeditamque eorum dissipationem
natura placide tolerare, aliisque vicariis excretioni-
bus pedentem compensare adsuescat.

§. X.

Haecce vero liberae transpirationis ubertas
& perspirabilis acrimonia, cum vix alio, quam aesta-
tis tempore, simul concurrere possit & soleat, utique
inde ratio patet, cur, ut nonnulli satis speciose quaer-
runt, Dysenteriae fere extra illud haud occurrant,
quamvis caloris & frigoris vicissitudines aliis quo-
que temporibus anni incident; imo cur in univer-
sum autumnales mōrbi, in quorum numerum Dys-
enterias quoque **HIPPOCRATES** s) refert, com-
muniter acutissimi & maxime exitiales sint, iuxta
ciusdem *Aphor. 9. Sect. III.* Quamvis enim vera
omnino sint, quae **HEVRNIUS EX GALENO** dis-
fusioribus saltē recitat verbis, quod aestas praece-
dens fregerit vires, bilem procreaverit contuma-
cem ac torridam, diaetae accesserit vitium, ac pro-
pria autumni vi natura stupeat, ex inaequali, quo
concutitur eo tempore, humorum motu, qui cum
contrarii sint & valde a se differant, minus eos illa
sufferre potis est, ut **WEDELIVS** in explicatione
Aphor. 4. Sect. III. indicat: causarum tamen fun-
dum minime exhaustiunt, dum sordium, sub transpi-
ratione cohibitorum, prona in putredinosam reso-
lutionem acrimonia magnam hic sustinet culpam,

C 3 ut

a) *Sect. III. Aphor. 22.*

ut S A N C T O R I V S *Med. Stat.* t.) indicat, cuius quoque maleficio idem attribuit, quod adiapnevstia aestate febrem malignam, hyeme vix minimam alterationem efficere possit; *corpora enim*, prout *Sect. II. Aphor. 35.* monet, *acriori perspirabili aestate referata sunt*, quam hyeme. Dysenteriis autem in specie id obstetricari, cal trenies potissimum manifestant, quas utopte maiorem semper edere stragem nemo nefcit. Miles namque nec inaequalem aeris temperiem cauere, nec corpus ab huius iniuriis tueri, nec humorum halitusq[ue]ae ventilationi convenienter, ut aliarum causarum subtileam concursum, vacare potest, praesertim si castra in locis palustribus locata fuerint, austroque pateant; ibi enim humi cubans, modo propter densissime surgentes nebulas horis nocturnis frigoribus premitur, modo diurnis, uligine discussa coeloque sereno redditio, praefocante solvit aestu, quo nomine Hungariae tractus, Dalmaticae confinis, non immerito apud c o B E R V M male audit, qui Dysenterias horum locorum malignitate & contumacia quavis alias vincere testatur, id quod recentissime K R A M E R V S quoque propria convictus cognovit experientia. Hinc pariter est, quod, ut sagacioribus Medicis exploratum est, aestates multo certius Dysenterias excitent, si per intercurrentes praecipites imbres grandinosos & tonitrua incendio pene conflagrans coelum subito detepescat, & rursus paulo post aestu incandescat, hisque repentinis vicissitudinibus largo per spirata.

t) *Sect. II. Aphor. 42.*

spiratui obicem ponat. Sub naturali enim statu continuo generatur in sanguine alcalinus sal, cuius origo ab assumpto sale & a terra in sanguine praesente, iugi motu per attritum & frictionem ad vasorum latera alcalefaciente, petenda est. Docuit nos vero immortalis BOERHAAVIVS, sanguinis mixtionem in fano homine ita debere esse comparatam, ut nec manifesta alcalescentiae, nec acescentiae praebat signa, adeoque necesse omnino est, ut continuo per patula cutis spiracula eliminantur alcalinae sordes. Si igitur caloris ope multum in M. S. generatum fuit sordium alcalinarum, hae vero, ob coabitam perspirationem, eliminari e corpore nostro non possunt, facile patet, & sanguinem inde redi acriorem, & bilem, ab eodem seceratam, in diathesi sua & blanda saponiformi constitutione minime remanere posse, sed acriorem fieri debere. Accedit insuper, quod frigus, fibras cutis musculares contrahendo, spasmus excite in extremis corporis nostri partibus, unde vasorum minuitur diameter, sanguis & reliqui humores motu retrogrado ad internas secedunt partes, adeoque & circa intestina sit eorundem accumulatio, a qua dein facile copiosus ibi muci proventus, & ab irritatione pendens auctior peristalticus motus, deduci ac demorstrari possunt.

§. XI.

Quod interim non omnis promiscue, servidior licet, aestas, epidemicas excludat Dysenterias, ut VALENTINI de Hassiacae Anni 1694. in Ephemerid.

merid. N. C. u) ultra hominum memoriam siccissima & calida, & Anni 1701. Sempronensi, per Iulium & Augustum maxime squalida, LOEWIVS testimonium perhibet, id vel noctibus simul praeter Naturae ordinem calidis, ut idem insinuare videtur, vel potius superiorum paulo anni temporum constitutioni, si quid in re obscura coniecturari licet, in acceptis ferendum est. *Tempestates* namque anni temporum, iuxta glossam WEDELIANAM^{x)}, non solum in praesens ad morbos disponunt, sed etiam in sequentibus temporibus demum erupturos; sive ut GERBEZIVS in Chronologia sua medica pronunciat: *Morbi, qui in temporibus accident, non tam ex praesentibus, quam ex praeteritis aëris constitutionibus dimentendi sunt.* Idcirco etiam HIPPOCRATES eiusmodi temporum successiones probe contemplari iubet, illumque, qui usum earum calluerit, non multum in arte aberrare posse, optime iam iam 3. *Epidem.* p. 1091. monuit, atque 6. *Epidem.* 8. *Aphor.* 18. ut aëris non saltem primae qualitates, sed earum quoque mutationes, & ex quibus fiant, quomodo se habent, hoc est, quae tempestatum in temporibus anni conversiones, & quomodo, subito nimirum, an sensim, mutuo se excipient, probe animadvertiscantur, necessum esse dixit, simulque in *Histor. morbor. epidemior.* ipse solerter demonstravit. Quodsi ergo, ut propositionem exemplo illustrem, hyemem plus aequo sicciam & aquiloniam, ver autem pluvium & austri-

^{u)} Dec. III. Ann. III. Append. p. 142.

^{x)} In Aphorismis Aphorismor. Sect. III. Aphor. 3.

aestrinum aestas excipiat calida, necessario excipere debeant Dysenteriae, prout *Sect. III. Aphor. ii.* scribit, (quod tamen **G A L E N V S** eidem non iniuste, ut ex rationibus datis appetit, exprobravit,) iustissima est consequentia, sterilem futuram harum segetem, si tempestates se diverso excipient modo. Ast cum non Grammaticorum saltem, sed Medicorum quoque regulae, suas communiter habeant & admittant exceptiones, absolute idcirco determininare non audeo, quenam temporum successiones & mutationes fertiles vel steriles Dysenteriarum sint, exercitatoribus potius ac perspicacioribus ingenii, imo posteritati ipsi (neque enim brevis unius hominis aeras pro absolvendo hoc sufficit opere,) id committens. Quare etiam **G A L E N V S**, quamvis probe animadverterit, **H I P P O C R A T E M** fundamenta saltem prima utilissimae huius disciplinae posuisse, atque ea propter perfectionem illius in se receperit, nihil tamen praefuit, sive quod morte praeventus fuerit, sive potius, quod, ut **B R A S S A V O L A** *Commentar. in Sect. III. Aphor. 16.* iudicat, res sit omnino ardua, difficilis & longa.

§. XII.

Tandem etiam causa, cur non quaevis in universum loca, viciniora licet, adeoque eadem fere coeli temperie gaudentia, simul uno eodemque tempore popularibus Dysenteriis adligantur, aut minoriores saltem experiantur, ad exemplar *Institutionis Hippocraticae p. 280.* repetenda est ex diversitate situs, quomodo respectu ventorum aut solis exortus

D item.

itemque aquarum, se se habeat, num palustribus & mollibus incolae utantur, an duris & ex sublimi ac sa-
xosis locis scaturientibus, & quae alia ipsorum ordina-
ria sint potulentorum genera. Terrae porro, quam
inhabitant, conditio, an nuda sit & aquis careat, vel
densa & irrigua, in cavo & aestuoso loco sita, vel in
sublimi & frigido existat, & tandem regiminis & vi-
etus disparitas, merito quoque huc referri debent,
ut alias cumulandae biliosae faburrae faventes op-
portunitates brevitatis causa taceam.

§. XIII.

Quae cum ita sint, prout profecto ita eadem
esse, praemissa evincunt documenta, nulla urgeor
necessitate, occultum aliquod vel ex terrae visceri-
bus, vel coelestium corporum influxu aëri accedens
mensque Augusto peculiare comminisci miasma,
quod specificam Cholerae & Dysenteriae adaptatam
alterationem, vel sanguini, vel ventriculi fermento,
ut opinatur SYDENHAMIVS y), imprimere pos-
sit. Quamvis enim HIPPOCRATES z) syllogisti-
ce concludat, quod, ubi eadem tempestate com-
plures, diverso licet vietu & regimine utentes, uno
morbo adfiguntur, in id quod maxime commune
est, quove omnes potissimum utimur, aërem scilicet,
quem spirando ducimus, reicienda sit caussa,
tam longe tamen eiusdem petere infectionem iure
meritoque displicet: ut enim morbus evadat epi-
demi.

y) Operum Sect. IV. sub finem Cap. 2. & in Schedula moni-
toria de novae febris ingressu.

z) de Nat. hum. p. 278.

demicus, sufficit, per communem anni tempestatem
communem quoque, ad illius conceptionem, corpo-
ribus conciliari dispositionem, ut dein morbosis, sic
ut idem ille elicere consuevit, excretionibus sive in-
quinamentis, quorum vehiculum est aér, prom-
ptius, ac alias, inficiantur & pateant. Licet quoque
porro, vt in terminis maneam, is utique, qui asser-
tum hoc, quod Dysenteriae per contagium serpentis
& disseminentur, in quaestione sumere veller, suam
in praxi proderet ignorantiam; illud tamen pro-
prie morbi iam existentis producendum, sive, ut cum
DIE MER BRE OE CK IO dicam, sobolem, minime ve-
ro causam eius primo primam esse, satis constare
existimo. Certe si Medici haec tenus, **HIPPOCRATE** duce, non tam manifestas aëris qualitates, quam
eiusdem in temporibus repente vel sensim succe-
dentes vicissitudines & permutationes, animadverte-
re, & simul earum in corpus vivum potestates in-
dagare & aestimare non neglexissent, vel potuissent,
utique somniantium illa phantasmatata, tardorumque
ingeniorum abortivi conceptus, de universali & ma-
ligna aëris infectione, iam pridem evanuissent, nec
amplius nodus ille Gordius, qui saepius laudato sY-
DEN HAM IO scandalo fuit, inextricabilis esset, cur
nempe annorum constitutiones, quoad manifestam
aëris temperiem sibi plane consentientes, dispari ad-
modum, & vice versa, morborum infestentur
agmine.

§. XIV.

Omnem postremo culpam unice in vietus vel

D 2 regimi-

regiminis coniicere delicta, *pigrorum*, iuxta s T E N ZELII sarcasmum, sapere mihi videtur *Pathologum*, utpote quibus in more positum est, brevibus se, sed parum scientifice, circa morborum origines expedire: si enim, ut HIPPOCRATES de *Nat. hum.* argumentatur, unus morbus omnes continenter attingat, & iuvenes & senes, & mulieres & viros, perindeque temulentos & abstemios, tam eos qui maza, quam qui pane visitant, & eos, qui multis, quam qui paucis exercitationibus utuntur, iam liquido constat, non unius cuiusque vivendi rationem, sed aëris communem omnibus constitutionem in causa esse. Speciatim vero publicam fere fructuum horacorum infamiam id diluit, quod pari passu cum Dysenteriis non ambulent; dantur enim anni, in quibus, vigente licet eorum abundantia, Dysenteriae tamen exulant, sicuti vicissim epidemicae in summa eorundem penuria evadunt. Non minus, quod aliquando praeter suam indolem praecocius, mense Iunio, priusquam illi suppetere possint, exoriantur, & in Octobri, ante horum defactum, communiter grassari desinant, nec per excessivum hoc tempore familiarem uarum abusum, sive in Germania, s T A H L II fide, sive in Patria hac, unquam suscitas fuisse usu compertum sit, ut taceam, sollicite etiam sibi ab his carentes nullum tamen a Dysenteriis consequi privilegium. Ansam tamen et occasionem illis concitandis magnam hos praebere, si temporis favor & opportunitas acceperit, nec secus dissimilare nolo, quatenus aestuosa iam bilem exacuant, eius-

eiūdemque fermentificā suā indole, largiorem ad intestina provocant defluxum, qui alvum concitando, acre a corporis superficie divertit perspirabile & ad intestina revellit, sicque Dysenteriarum famulantur & velificant proventui. *Fruitus enim horeai;* & ex his uvae potissimum, dulce aliquod recondunt principium. Dulcia vero, docente chymica analy-
si, ex acido constant sale, cum mucilagine iuncto; tale autem corpus ad fermentationem ac inde producendam partium spirituascentiam dispositum esse, experientia edocemur. Iam vero fermentatio motu intestino absolvitur, quo nexus partium dirimitur, haecque novo dein iterum sibi iunguntur modo. Sub hoc ergo partium attritu non modo acidae acriores evadunt, sed & accedente sat magno caloris gradu, alcalinam indolem induunt, quod eo fane citius fiet, si alcalina in sanguine iam adfuerit acrimonia. Facile hinc patebit ex chymica hac con-
sideratione, quod per quosdam fruitus horaeos Dysenteria non possit excitari, cum ad eandem alcalina requiratur acrimonia, quae in illis acida est; sed praesente iam in M. S. alcalina tali acrimonia, nimia-
que bilis copia, caloris quoque externi gradu ita au-
to, ut ipsae acidae partes cum oleosis ex bile parti-
bus iungi intimius possint, utique non parum au-
geri poterit morbus a faburra, ex abuso horum fru-
tiuum, in ventriculo & intestinorum canali produ-
cta. Ex quo etiam fundamento seu respectu *HIP-*
PORATES acriora sub cane & ante canem pro-
hibuit purgantia, non quod sidus hoc malignum ali-

D 3

quem

3170

quem habeat influxum, sed quod Naturae ordine somme aestuosum tunc vigeat tempus, ac per consequens bilis in corpore & hepate fermentifica obtineat, quam in seditiones pronam purgantibus magis exstimulare gravis & inconsulta foret temeritas.

§. XV.

Prima ergo sic exposita Dissertationis parte, nunc ad alteram provolvor, scrutaturus & expositorus causas, cur sobrius licet *Passi* in *Dysenteriis* usus vix impune cedat? Sed cum forte non omnibus perspicuum sit, quid *Passum* significet, ideo interpretem prius agam, simulque modum, vinum hocce parandi, ut causarum cum noxio illius effetu connexio magis elucescat, integra propalabo si de. *Passi* scilicet nomine mihi venit gratissimum illud vini genus, cuius non apud indigenas saltem, sed exterios quoque summa est gloria, quamvis non tam Naturae, quam potius ingenii apud Hungaros sit opus. His enim solis, quantum novi, in more positum est patrio, vel passos de vite racemos, vel in horum defectu, (neque enim omnis indiscriminatim annus eorundem ferax est,) singulares saltem acinos, sole adustos & rectorridos, sive *passulas*, a patientia, auctore **PLINIO**, ita nuncupatas, quod scilicet excoqui se & in mellagineam dulcedinem inspissari passae sint, (adeoque idem, quod *Cariae* respectu *Ficum*, hae succulentis collatae, simulacrum exhibeant,) sub calcem vindemiae magna industria a recentibus, succoque suo adhuc turgescientibus uvis

uivis sequestrare, detractasque a suis scapis singula-
tim colligere, & congestas in Cadum pedibus tam
diu conculcare, quoad omnis eorum massa Roob
spissum & aequale referat, quod demum sub dupla
vel tripla, aut si copiae potius, quam bonitatis ac-
cesserit studium, uberiori etiam quantitate cum no-
bilissimi Tortivi vel etiam Proctopi musti (utpote
quod, si nec uvae satis excoctae fuerint, nec sar-
menta permaturerint, praestantius illo esse consue-
vit) dilutum atque probe subactum, operculantur,
& eo usque conseruantur, donec follicularum re-
liquiae cum nucleis in superficie adpareant, succus
vero, ceu ponderosior, subsideat, quem tandem,
exemptis prius fortiterque per manuum volas ex-
pressis vinaceis, exhausti, transmissumque per
cribrum in Tinnas, sive vascula XC. heminarum,
condunt, ac Germani postea *Ausbruch*, seu *Tro-
ckenbeer-Wein*, vocant. Residuis tandem ab hoc
opere vinaceis recens iterum adfundunt mustum,
pro succedaneo *Passo* eadem encheirisi parando, ea-
que non iam manibus, sed torculari subiiciunt, ut
quidquid in illis restaret dulcoris, extorqueatur,
qua arte vinum nascuntur, cui secunda post
Passum est nobilitas, quodque *Máslas* nostri vo-
cant. Facile ergo exinde concipi potest, quod mu-
stum, tanta succi optime excocti dulcis & pinguis
accessione imprægnatum, largiatur vinum, fermenta-
tione absoluta viribus potentissimum, colore au-
reum, sapore suavissimum & duleissimum, odore
fragrantissimum, consistentia licet spissius, quod
proin-

proinde, ut sit vendibile, nulla prorsus indiget hedera.

§. XVI.

Quamquam autem nec medicamentis in diversis valetudinibus aptius, nec corporis sustentandis viribus aliud sit utilius, si tamen providus & circumspectus usus, vel modus etiam absit, nihil eo, pro more generosiorum auxiliorum, est perniciosus. Speciatim vero dysentericis illud non remedium, sed potius deleterium communiter praebere venenum, ex eo colligere licet, quod morbi radicem nec aggrediatur, nec extirpet, (ad quam tamen tollendam curantis consilium dirigi debet,) sed eandem potius soveat: dulcia namque bilesce-re, vetus est dieterium, quatenus & bilis proventui, subministrando eidem materiem, velificant, & simul in primis vii huic associata, eiusdem acrimoniam non tam infringunt, quam potius exasperant, siquidem ex vino generosissimo & dulcissimo acerri-mum consurgere acerum, nec mulierculas latet. Et hoc sane eo reatu intelligetur, si modo ad ea, quae §. XIV. dicta fuere, attendamus; quod enim ibi demonstratum fuit de fructibus horaeis, id quoque de Passo eo magis valet, quo maior in eo deprehenditur acidi salis ac mucilaginosae terrae copia. Cum enim hoc vini genus quam maxime dulce & simul spissuscum sit, utrumque, tam salinum acidum, quam mucilaginosum terrenum principium, in eo abundare liquido patet. Sed odor quoque fragrans, sat magnam adesse demonstrat olei satis vola-

volatilis; tunicam narium nerveam afficientis, copiam. In oleo vero semper alcalini quidpiam latet, idque eo magis, quo magis illud est volatile. Quis itaque non videt, facile augeri posse sordium alcalinarum ac recrementiarum copiam, intempestivo Passi in Dysenteria usu. Tum & generosa sua indole sanguinis motum augendo efficit, ut frictio augeatur globulorum sanguineorum ad vasorum latera, ab hac vero calor pendet & sanguinis resolutio. Calor itaque inde augebitur, una cum sanguinis resolutione & alcalescentia. Quam pernicioса vero haec sint iis, qui Dysenteria laborant, nemo non perspicit, qui superius de morbi huius aetiologya exposita paullo consideraverit attentius. Accedit, quod citam hostilis materiae exclusionem non quidem intercipiat, (multum enim alui deiectiones post illius usum rarescere haud assolent,) tonica tamen sua virtute, diluendique impotentia, eam remoretur, quam nihilominus convenientis liquoris diluvio submergere & eluere SYDENHAMVS non male consulit, atque ita lupum, ut aiunt, stabulo concludat, malumque malis cumulet, dum bili causticae non saltem intestina exulcerandi & inflammandi, sed fermentificam quoque suam indolem vitalibus humeribus communicandi tempus & moram indulget.

§. XVII.

Maxime autem usum eiusdem contra indicat & prohibet febris, Dysenteriis communiter, minimum in Hungaria, complicata, vel proxime accessoria: Cum enim nullo magis vino venae excitentur,

E sanguis-

sanguisque incendatur, idcirco illud hac valetudine vexatis exhibere, idem est, ac oleum igni adfundere, surgentemque intestinorum phlegmonem in sphacelum praecipitem dare, praesertim dum ad mare microcosmicum delatum aegre hinc per sudores vel urinas, propter suam ponderositatem & spissitudinem, secedit, qua de causa, licet intemperantior eiusdem potus tardiores, pertinaciores tamen, quam alia vina, inducere consuevit, crapulas, quas nec prompte exhalare, nec edormire integrum est.

§. XVIII.

Nec porro etiam quemquam moveat, quod mulieribus olim vino interdictum, Passi vero concessus fuerit usus, teste GELLIO ^{a)}, eo quod viribus innoxium, nullam faceret temulentiam; hanc enim insolitam qualitatem, ob quam MERCURIALIS illud Vini nomine dignari recusavit, cura Veterum effecit, dum mustum cum passulis decoquabant, adeoque fervore viresque sibi facere hoc artificio prohibebant, quam tamen Passo Hungarico attribuere nemo, qui primis saltim illud unquam degustavit labris, praesumeret. Sed nec offendiculo cuiquam erit, quod Illustr. b. m. S T A H L I V S, Vir in Medicina facienda, si quisquam alter, cautissimus, confidenter sustinebat, ut Excellentiss. exponit IVNCKERS, dysentericis moderatum generosi vini potum non solum innoxium esse, sed familiariter etiam, licet febris consiperet, bonum praestare effetur: haec enim, si quae est, indemnitas & securitas,

^{a)} Noct. Attic. X. 23.

tas, vinis saltem Germaniae; non vero Hungariae, multo minus Passo eiusdem convenient, utpote cum quo si conferantur illa, exceptis selectioribus, vix multum *Raspia b)* (sit venia verbo, usu his in locis recepto), valentiora sunt, quatenus scilicet propter tenuitatem suam naturalem expedite per halitus difflantur, & per urinas secedunt, nec proinde mul-tum sanguinis augent incendium, blando item suo acore intestinorum temperant & demulcent ardo-res, fermentationisque putredinosaes tyrannidem moderantur & arcunt: quo nomine succus Citri D O L A E O, & b. H O F F M A N N O liquor eiusdem mineralis, pluribusque lac ebutyratum recens, vel etiam serum eiusdem, celebratissima sunt in Dysenteriis auxilia, imo ipsum spiritum Vitrioli L A N G I V S in Pathol. anim. multum commendat, si Iulapia vel enemata eo decenter acidulentur, ita ut sub censura gustus lenissima tantum quaedam aciditas deprehendi queat, parque beneficium ulcerosis intestinis hinc illi spondent, quod in faucium inflammationibus & ulcerationibus eundem subministrare vel tonsoribus cognitum est, quem tamen salubrem a vi-nis spirituolis & dulcibus, in specie autem Passo Hungarico, praestolari effectum, absurdum, ne quid

E 2 gravius

b) Hanc vini speciem nostri, uvas rubras, ceu ignobiliores, ab racemis suis detractas & in dolium coniectas, cum aqua fermentando parant, *vina Italorum Raspata*, quorum SACHSIVS in *Ampelographia Lib. II. Secl. 6. Cap. 2.* memini-t, imitaturi, a quibus nomen & artificium probabiliter mutuati sunt.

gravius dicam, foret, id quod inter plures ex antiquioribus perspexit Carol. MVSITANVS, dum in *Trutin. Med. c)* inquit: *Quando febris est exigua, conceditur vinum rubrum decocto dilutum, sed angue peius fugiendum est vinum generosum; nam maiores & insolitas fermentationes atque turbationes in sanguine producit, & sic a maiori sanguinis motu & turgescentia arteriarum & venarum, extremitates magis dilatantur & patent, unde sanguis maiori in intestina diffliuit copia; ex recentioribus vero celeberr. DE GNERVS, qui in *Histor. Dysenteriae Anni 1736. biliostae d)* experientia sua didicit, vinum Rheananum & Mosellanum, gustu gratum & subacidum, per totum morbi decursum, nulla habita febris ratione, egregie profuisse, generosiora vero, fortia, spirituosa & dulcia, ex quorum genere est Hispanicum, *vin Tint dictum*, non bene tulisse aegros, quamvis illud alii pro summo haberent arcano, si quidem anxietates, aestum & sitim excitaverint.*

§. XIX.

Ast ne argutari nudisque saltē ratiociniis pugnare videar, nonnulla huius rei experimenta, quae mihi, praxi & lateri dilectissimi Parentis adstanti, capere licuit, subiiciam. In recenti namque mihi adhuc est memoria Vir his in partibus spectatae nobilitatis & dignitatis, qui ante triennium a XIX. Iulii per utrosque menses, Augustum & Septembrem, cum populari tum Dysenteria ancipiti admobum

c) Lib. III. Cap. XIV.

d) Act. Nat. Cur. Vol. V. Append. iuncta.

dum luctabatur fortuna: praeter innumeras namque, noctu & interdiu aequaliter urgentes, alvi tormentos & cruentas deiectiones, glaciale frigus extremonum, quae nonnisi tarde, post triduum, ad calorem revocari poterant, intercurrentis singultus, mentis alienatio, frequensque simul pulsus aderat intermissio, ex quo tamen gravi & manifesto vitae discrimine sospes tandem, Deo secundante, evasit. Is, quoties durante morbo, pro sustentandis viribus, aliquid vini non Passi, sed saltem generosioris, sorbillaster, toties febrem cum suo fatelito ingravescere persensit, qua de causa ne quidem vinum Budense rubrum, quod in comparatione cum vinis submontanis exigui valde est valoris, amplius admittere voluit. Eadem quoque tempestate novi Assisorem huiatis Tabulae, placidiori licet Dysenteria tentatum, ubi eandem sola clysterum applicatione, & Passi usu, ceu suavissimo medicamine, profligare in animum induxit, mature ad superos migrasse. Quendam item huius loci ciuem eo tempore, cum iam in vado ex Dysenteria esse videretur, hausto Passo, quod amicorum nonnemo pro confortandis, ex vulgari opinione, viribus subministraverat, intra triduum vita functum fuisse. Unicum mihi, pueri nobilis & sanguine iuncti, succurrit exemplum, qui Dysenteria ultra tres hebdomadas excruciatus, crudelardi esu, repetitoque vini dulcis, ut appellabat Passum, haustu, quibus utrisque pasci sanus etiam consueverat, summoque tum eorum flagrans desiderio, mira aviditate, non interdiu saltem, sed in-

E 3 tempe.

tempesta etiam nocte evigilans, utraque obliguriebat, integrum recepit sanitatem; quod tamen pro regula sumere & imitari nemo prudens audebit e). Tanta nimis consuetudinis adscititiae vis est atque potestas, ut ex longo temporis intervallo adsueta, quamvis deteriora insuetis, minus molesta, iuxta HIPPOCRATEM f), sint. Suffragantem praeterea mihi habeo LOEWIVM, patriae quondam Medicum, qui se aegrotis suis nonnisi profigato iam hoste vini Semproniensis, quod inter vina Hungariae inferioris generosissimum est, concessisse usum, profiteretur loco supra citato.

§. XX.

Haec igitur temporis opportunitas summa est illius cautionis, citra quam Passum in Dysenteria nouum

e) Simile exemplum adducit ROMMELIVS in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Obs. 192.* de honesta foemina, Dysenteria graviter laborante, quae cum a Medicis iam relicta esset, ut ultima adhuc vice adipetitui indulgeret suo, uvas recentes mira devoravit aviditatem, quo facta, non solum melius statim valere cepit, sed temporis successu integrana quoque recuperavit sanitatem. Vero videtur simile, adfuisse in hac aegra insignem bilis acrimoniam alcalinam, quae aciditate recentium uvarum obtusa & mitigata fuit. Neque enim, quam ROMMELIVS adfert, novam in ventriculo ortam fermentationem praefens iam fermentum superasse, est probabile, cum, cur nova fermentatio praesentem iam intefsinum motum augere non debatur, mili quidem nulla videatur adesse ratio. Animadversione tamen dignus est mirus adipetus, quem utinam Medici saepius animadverterent.

f) Sect. II. Aphor. 50.

xium plerumque esse, haetenus disputavi; ne scilicet illud nec ineunte, nec vigente, sed tantummodo manifeste iam declinante, vel, ut pressius dicam, fugiente morbo in usum veniat, postquam nimirum febris cum suis conquivievit symptomatibus, crebrae torminosae alvi deiectiones cessarunt, atque excrementa naturalibus proximiora evadunt, ciborum item amissa sensim redit cupiditas, urinaeque, pro potus ratione, secedunt: tum sane intestinorum & ventriculi restituendo robur, digestionem reparando, viresque resarciendo, non saltem officium facit, sed grande etiam convalescentibus beneficium confert, ut hinc, quod TIRELLVS, in *Historia Vini*, elogium illis in genere attribuit, Passo nostro in specie conveniat, quod scilicet sustentet firmos, erigat lapsos, cohibeat cadentes, edat miracula maiora, quam extracta lapides, quintae Essentiae, nomina fabulosa, vel boli, pilulae argenteae, aureae, plebis genuinae deceptiones, incantamenta marsupii, vituperia sapientiae, Medicinae opprobria, & quae ibidem plura legi possunt. Cum enim in Dysenteria, ob acrimoniam biliosi fermenti, intestina, irritata eorundem tunica nervea, continuo stimulento & ad spasmus proritentur, spasmus vero, praesertim nimis diu durantem, atonia excipiat: facile hinc colligi potest, intestinorum fibras, sub grauiore morbi statu, vehementem in modum debilitati. Quare declinante morbo ea omnia, quae vires amissas tonumque partium debilitatarum resarcire possunt, utramque absolvunt paginam. Fit vero hoc

hoc per vina generosiora, quae, dum circulum sanguinis augent, secretionem quoque fluidi nervi, a cuius copia fibrarum pendet robur, auctiorem reddit.

§. XXI.

Sed video iam quosdam, qui ne sub declinatione quidem morbi vinum admittere audent, fibras per Dysenteriam debilitari vel ideo negatueros, quod saepius animadverterint Medici, plures eorum, qui semel huncce truculentum morbum superarunt, non facile eodem, licet epidemice denuo graffetur, amplius affici, ex quo colligitur, singulare inde intestinis accedere robur. Verum huic experientiae aliam possem opponere observationem, quod nempe paralyfis brachii & pedis in utroque latere Dysenteriam subsequatur, musculorum debilitationem manifeste demonstrans, prout hoc vel nuper demum celeberr. Dn. D. FABRICIVS Helmstadii eruditus exposuit f). Neque tamen alia quoque desunt, quae responderi ad expositam obiectionem possint, cum plerumque in talibus subiectis minor adfuerit morbi gradus, a minori autem irritationis gradu augatur influxus liquidi nervi, unde robur fieri maius omnino necesse est.

TANTVM.

f) in *Dissertat. de Paralysi brachii unius & pedis alterius lateris, dysentericis familiaris.*



NOBI-

NOBILISSIMO ATQUE CLARISSIMO
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO

S. P. D.
P R A E S E S.

GMnem hanc rerum humanarum universitatem a di-
uina regi providentia, non saltem sacrae testantur
paginae, verum etiam ipsi gentilium Doctores ex
solo naturae lumine, singularia eaque quotidiana experti
providentiae argumenta, luculenta bac de re scriptis consi-
gnarunt momenta. Quapropter egregie eloquentiae parens,
TULLIUS, de *Divinat. Lib. I.* esse Deos, inquit, & eorum pro-
videntia mundum administrari, eosdemque consulere re-
bus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis.
Providentiam certe adeo inter virtutes divinas coluerunt
pagani, ut eandem in nummis, lapidibus aliisque suis per se-
cula victuris adumbrarent monumentis. Non hic plura cu-
mulabo veterum scriptorum effata, nec obviis obvia sollici-
tabo divina oracula; verum gaudium singularemque laeti-
tiam, ex uno saltem providentiae divinae monumento nobis
exortam, paucis hoc loco de promam verbis. Enimvero vix
publicum in alma bac Fridericiana medicinam docendi mu-
nus, clementissimo Regio iussu, adgressus fueram, quum **TV,**
ORNATISSIME CANDIDATE, (ubi iam pridem ardis-
sum illud amicitiae vinculum inter optimum senem, ex-
perientissimum Parentem **TVVM**, atque me, bono omniē au-
spicatum, adhucdum non saltem vigeret, verum etiam nova-
subinde sumeret incrementa,) recentes consuetudinis nostras
mox mibi exhiberes tesseras, litteras nimirum, quibus **Vir**
celeberrimus, **TVVS** Parens, meus autem amicus integer-
rimus, cum me humanissime salutaret, tum in primis insi-
tutioni meae **TE** totum committiret. Volebas eo tempore,
de meo in banc Academiam adventa haud satis guarus. Er-
furtum petere; ubi vero rescires providentiam divinam,

F

quam

quam supplex veneror, mibi iam in hac musarum palaestra
docendi decrevisse provinciam, aetutum consilium mutabas,
TEque ab eo tempore, ad hunc usque diem, adeo curae meae
commisisti, ut non tantum omnia docto & prudenti Medico
proficua, optimo ordine, dum diligentissime frequentabas
collegia, TIBI cognita redderes, verum etiam, quo ficiulus
omni fere hora mecum esse posse, in domum meam concederet,
ibique inter mibi coniunctissimos diligentiae atque virtutibus
TVIS parem obtineres locum. Quem itaque atque longo
tempore in omnibus meis collegiis assiduum habui auditorem,
quique ultimis praeципue temporibus mecum sub eodem
tranquille atque studiose musis litavit teclo, eum me, Hygeae
deliciis probe innutritum, atque talem, quale in primis pia
optimi Parentis TVI vota, iam pridem concepta, flagitarunt,
in tenerrimos patriae amplexus remittere posse valdopere
mibi gratulor, vobementerque de eo laetor; praesertim quo-
niam optimi Parentis de TE & fratre TVO natu maiore,
praeclare docto atque expertissimo quondam Medico, (qui,
divino sic iubente nutu, nobis sui desiderium relinquens, praematura
succubuit morti,) conceptam spem iam solus sustines,
omnemque unus TIBI vindicas amicorum exspectationem.
Quae itaque ante hos duodecim annos Viri de Academia no-
stra insigniter meriti b.m. fratri TVO, cathedram, quam
mox inter amicorum plausus obtinebis, ascensuro, precati
sunt, ea omnia TIBI toto pectore opto, simulque voveo, ut in celeberrimi
Parentis TVI solamen, patriae utilitatique publicae,
vigeas, floreas atque perennes. Vale, AMICISSIME
RAYMANNE, meque TVI studiofissimum amare numquam
define. Dab. Halae Salicae, d. VIII. Octobr. MDCCCL.

So schwingst Du Dich, mein Freund, empor,
Und zeigst des Fleisches edle Früchte,
Was Wunder, wann der Musen Chor
Nun weit ausbreiter Dein Gerüchte?

Du

Du zeigst die übeln Folgen an
Die selbst der Ausbruch würken kan;
Und sehest dadurch in das Lichte,
Was andere kaum verstehn, das hält bey Dir Gewichte.
Wie glücklich schäz ich diese Zeit,
Da ich mit Dir gar fest verbunden
Fest Deines Fleisches Seltenheit
Besinge, die bey Dir gefunden.
Wolan! mein Freund, blüh immer fort,
Doch dencke an Dein Freundschafts-Wort,
So werden wir vereinigt bleiben,
Und ich will, weil ich bin, mich Deinen Diener schreiben.

LVDOVIC. ALBERT. RAV, Ulmensis,
Medic. Cand. Opponens.

Simm dieses Blat, mein ander ich,
Das zwar ein ungelübter Kiel,
Doch auch ein unverfälschtes Herz
Dir, edler Freund, geweiht.
Wahr ist es, o mein Jonathan!
Das Dein Fleiß auch das beste Nohr
Und der gespannten Seiten Klang
Vey weiten überschreitet.
Doch Freund! ein Herz das Freundschaft hegt,
Wird auch mit einem schlechten Wunsch,
Den eine treue Brust ertheilt,
Wie mit dem reinsten Thon gerühret.
Drum nimm den letzten Abschieds-Kuß,
Da Dich zwar Deine Kunst erhöht,
Doch auch das Glück von mir entfernt;
Nimm ihn, o Freund! geprüfter Treue.
Dein Glück erfreut zwar meine Brust,
Da Dich die höchste Würde ziert,
Da heute Dich Hygda crönt
Und Du des Fleisches Früchte erntest.

50



So gehe denn, erfülle nun,
Das Hoffen, das Dein Fleiß gebahet;
Geh, eile, durch der Allmacht Schus
Zu den gewünschten Gränzen.
Nun Freund, das Schicksal scheidet nur,
Doch trennet es die Freundschaft nicht:
Nun lebe wohl, und bleibe mir
O Freund! o edler Freund! gewogen.

CHRISTIAN PAECKEN, Med. St.

W^opollo reicht mit heitern Blicke,
Dir, theurer Freund! von seinem Thron.
Den Dir bestimmten süßen Lohn:
(Selbst Monus bleibt hier zurücke,
Der sonst doch viel zu tadlen weiß.)
Und jeder, der Dich Werthster kennet,
Und Dich aus ächter Freundschaft nennt,
Wünscht Dir viel rausend Glück zu dem erhaltenen Preis.

Ich stimme diesen frohen Trieben
Aus unverfälschter Freundschaft bey,
Freund lebe! und sei gänzlich frey
Vom Schicksal das Dich kan betrüben,
Das Glück, das weise Seelen schmückt,
Begleite Dich in allen Sachen,
Es wolle vor Dein Wohlseyn wachen,
So wird Dein muntrer Geist mit schönster Frucht erquickt.


Zeuch denn, doch nein! bleib noch zurücke!
Doch leuchst Du in Dein Vaterland,
So machest Du auch dort bekannt
Wie Kunst und Wissenschaft beglücke.
Dein Umgang, der mich oft ersreut,
Ist freylich denn mit Dir verschwunden,
Doch dencke nur oft an die Stunden,
Worinn ich Ehrfurchts voll mich Dir als Freund geweyht.

C. F. E. OSWALD, aus Erfurth,
Med. St. Opponens.

01 A 6576



TAOG
S6,



B.I.G.



DE
**ORIGINE
 DYSENTERIARVM
 CAVTOQVE IN HIS
 PASSI HVNGARICI
 VSV**

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

^{E T}
*GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
 P R A E S I D E*

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 ET COMITE PALAT. CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,*

*D. X. OCTOBR. A. S. R. cl. Icccl.
 H. L. Q. C.*

**IN REGIA FRIDERICIANA
 DISPV TABIT
 AVCTOR**

**IOANNES ADAMVS RAYMANN
 EPERIESSINO - HVNGARVS.**

*HALAE MAGDEBURGICAE,
 TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.*